20

PROPOSITIONES
THEOLOGICO-DOGMATICÆ, MORALES, ET CANONICÆ

QUAS

PUBLICE DISCUTIENDAS PROPONIT

D. THEODORUS MONTICELLI

CONGR. CŒLESTINORUM ORD. S. BENEDICTI MONAC.
ET IN COLLEGIO S. EUSEBII DE URBE SAC. THEOL. AUDIT.

SUB ASSISTENTIA

D. RAPHAELIS CHIUMAROLI, ET D. XAVERII BASSI
THEOLOGIÆ LECTORUM.

Themate non communicato, & facta cuilibet arguendi poteſtate
Anno 1780. *Menſe Martio die* *hora* 21.

ROMÆ MDCCLXXX.
TYPIS MICHAELIS ANGELI BARBIELLINI AD MINERVAM

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rm̃o Patri Sacri Palatii Apoſtolici Mag.

Franciſcus A. Marcucci Epiſc.
Montis-Alti Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Bruno Toma Ord. Prædicatorum Rm̃i Pat. Mag.
Sac. Pal. Apoſt. Socius.

Digitized by Google

DE FUNDAMENTIS DOGMATICIS,
Seu de Locis Theologicis.

I.

1 RELIGIO, ac cultus, quem erga DEUM Optimum Maximum tenentur profiteri quotquot in terris extant mortales, illius debet eſſe naturæ, ac indolis, ut ipſi Deo apprime reſpondeat, illique gratus ſit, & acceptus. Id vero ſi alta mente repoſitum habent Deiſtæ (habere certè debent) haud dubie cum tantopere deferunt naturali rationi, ut ob hanc omnem prorſus elevent Revelatam Religionem, eidem rationi quam maximè injurii ſunt, ac refragantur. Obſcurata ſiquidem, miſereque fœdata per proprias culpas ab hominibus rationis face, atque adeo, quæ illi innitebatur, Religione, aliqua Divina Revelatio nedum poſſibilis, verum etiam conveniens, utilis, ac neceſſaria eſt; cum ſuopte marte in priſtinum cultum haudquaquam ſe poſſent homines reſtituere.

II.

2. Et reapſe Deus pro ſumma ſua adverſus homines miſericordia dignatus eſt iisdem impertiri revelationem, quæ initio Patriarchis commiſſa, dein temporum progreſſu per Moſen propagata, fuit tandem omni ex parte abſoluta a Jeſu Chriſto; eaque præcipue Libris Veteris, & Novi Teſtamenti continetur.

III.

3. Non uno porro argumentorum genere doctrinæ laudatis hiſce Libris contentæ Divinitas ſe prodit. Eminet imprimis tanta ejus effi-

cacia, quanta ſat fuit obduratis mortalium cordibus movendis, cum cujuſcumque conditionis homines, perditiſſimos etiam, ac pervicaciſſimos, in ſui traxerit obſequium.

I V.

4. Snnt & miracula, quæ exſerte rem eandem confirmant, extraque omnem dubitandi aleam ponunt; ut adeo, iis ritè penſitatis, conclamata omnino ſit Deiſtarum cauſſa. Hos autem ut preſſius præſtringamus, præcipua quædam, quæ in ipſis Libris leguntur, prodigia examinanda ipſis exhibemus: infirmæ ſane elumbeſque, quas excogitarunt in illis declinandis, exceptiones in propatulo magis, magiſque erunt.

V.

5. Stet ergo imprimis, quod Vetus Teſtamentum attinet, mirabilis illa Iſraelitarum per Mare Ærythræum, duce Moſe, facta trajectio; ſciſſis nempe illius per medium aquis; quæ hinc inde, murorum inſtar, peditibus Ebræis viam aperientes, inſequentes Pharaonis curſus, ac reliquos Ægyptios mox obruerunt.

V I.

6. Adhuc & ſpectabilibus contigit prodigium tempore Joſua; vix enim effuſis ad Deum precibus, impetravit Sanctus ille Dux, ut Sol, ac Luna curſum morarentur ſuum, uſque donec a Gabaonitis, quibus ſuppetias & ipſe tulerat, ſuprema clades decertantibus hoſtibus infligeretur.

V I I.

7. Tametſi impius Saul ad mulierem Pythoniſſam confugerit; ut ope ſuarum incantationum Samuelem ſibi evocaret; fuere tamen a Deo anteverſæ fatidicæ mulieris artes, & verus Samuel immiſſus terribilem ſententiam in Saulem edixit.

V I I I.

8. Quantum autem ad Novum Teſtamentum præ reliquis elucet Jeſu Chriſti Domini noſtri, ſicut ipſe prædixerat, e mortuis Reſurrectio; quæ tot ac tantos habuit oculatos, nedum auritos ſui teſtes, quot, ac quanti exiguntur ad factum quodpiam adverſus quoſcumque obſtinatos firmandum.

I X.

9. Quid ad hæc ſceleſtus Spinoza? hoc unum eſt iſti conſtitutum, prodigia quævis, ceu mera commenta, è medio tollere, illorum poſſibilitatem penitus denegando. At conticeſcat nugaciſſimus nebulo, cum miracula pluſquam poſſibilia eſſe evidentiſſime demonſtretur.

X.

10. Sunt autem miracula effectus veri, & reales, qui præter uſi-

uſitatas mechanicas Naturæ leges eveniunt, omneſque ſupergrediuntur naturalium cauſarum vires. Inde liquet dormitare, verius dixerim, inſanire alios Incredulos, miracula a nobis cognoſci haud poſſe effutientes.

X I.

11. Effectrix vero patrandorum miraculorum vis ac poteſtas ita uni ac ſoli ſupremo Numini eſt propria, ut vel ipſi boni Angeli pro naturæ ſuæ conditione nullo pacto eam poſſideant: & multo magis Cacodæmones.

X I I.

12. Poteſt tamen Deus in miraculis patrandis ſive bonorum, ſive malorum Angelorum miniſterio uti in veri confirmationem, nuſquam autem erroris vel impietatis.

X I I I.

13. Divina itaque cum ſit Veteris, & Novi Teſtamenti doctrina, ne ullus ſuperſit ſcrupulus Deiſtis, ſimiliſque farinæ Incredulis, illud attentè animadvertant volumus, utriuſque ſcilicet Fœderis doctrinæ Sanctitatem: tam enim latè ſe hæc porrigit, ſive hiſtoria ſpectetur, ſive theoreticum, vel practicum dogma, quod Diviniș Libris eſt conſignatum, ut procul hinc abſit nævus omnis, impuritas ac macula, nihilque occurrat, quod rectæ ſanæque rationi repugnet.

X I V.

14. Fruſtra prorſus conantur Deiſtæ Scripturarum Veteris Teſtamenti Sanctitatem evertere ob permiſſam Polygamiam. Spectatis enim illorum temporum circumſtantiis potuit Deus ſalva ſua ſanctitate eam permittere Iſraelitis, etiam Patriarcharum reſpectu.

X V.

15. Nec aliquod ſe inveniſſe arbitrentur pro cauſa ſua argumentum in Jephtæi voto, quaſi hominum mactandorum animo per illuſtris Iſraelitici Populi Dux illud nuncupaſſet. Id ſane prohibet Ebraica lectio, prohibet loci ſeries, prohibet & lata Deuter. 12. lex, Viro Ebræo haud incomperta; prohibent & cætera. Quod ergo votum Jephta ſuperno afflatu vovit, illud quidem juxta appoſitam conditionem ſolvit, unigenitam ſuam ſacrando, non pecudis inſtar mactando.

X V I.

16. Stomachum potius nobis creant, quam ſolidum afferunt momentum iidem Deiſtæ, cum Naamani Syri factum in Divinorum Librorum ſanctitatem intorquent: Propheta enim Eliſæus veniam dumtaxat indulſit præfato Principi pro incurvatione in Templo Remmonis exhibenda; dum apud Regem ſuum civili fungeretur officio,

Digitized by Google

eumdem ipſum ad idolum comitando; nec ſcrupuloſa Neophiti petitio quidquam continet, quod iniquam ſimulationem aut ſacrilegam exercendam actionem redoleat.

X V I I.

17. Alia via factæ Revelationis auctoritatem declinare fruſtra ſatagunt Deiſtæ, ejusdem veracitatem inficiando. Confidunt ſcilicet ſe poſſe eam labefactare, quod ſex naturalium dierum ſpatio mundum a Deo conditum narraſſe Moſen legant: extollunt hic Dei potentiam, & cum momento temporis omnia præſtare potuiſſe Sapientiſſimum Opificem intelligant, ut falſam Moſaicam narrationem rejiciunt. At cum in operibus, ut dicitur, ad extra, ſumma pollere libertate Deum fateantur oporteat, potuiſſe quidem Supremum Numen unico momento Mundum condere, ratio ſua probat; ſex autem diebus reapſe condidiſſe, verax Moſis oratio manifeſto demonſtrat.

X V I I I.

18. Mirum autem eſt, prælaudatæ modo a Deiſtis Divinæ Omnipotentiæ tam citam oblivionem ipſorum mentes cœpiſſe. Suſpiciunt ipſi, & recte quidem, Noachicum Diluvium uſque eo per Univerſam Terram patuiſſe, ut ad 15. cubitos omnes prorſus in ea Montes aquis fuerint contecti, dumque ingentem illam aquarum copiam demirantur, inſolenti temeritate rem à vero alienam pronuntiant. Aſt quem Deum exhibet Moſes in perdendo hominum genere ſollicitum, ipſe ille ore ſuo ait Gen. 6. 17.: *Adducam aquas diluvii ſuper terram*.

X I X.

19. Divina ergo ac verax eſt utroque Fœdere contenta doctrina, ut adeo tuto inde elici poſſint officia, quæ homines erga homines, præcipuè vero erga Deum exercere tenentur. Aſt ea omnia claro modo haud quaquam proponuntur in Scripturis; quæ etſi in bene multis, ubique tamen locorum claræ, & perſpicuæ non ſunt.

X X.

20. Scripturarum obſcuritatem probè noſcunt Arminiani, ſeu Remonſtrantes; quibus tamen illud venit in mentem, illas claras conſtituere in articulis fidei fundamentalibus. Sed quidquid ſit de fictitia illa articulorum diviſione (de qua ſuo loco infra) in iis etiam, quæ ad ſalutem ſunt creditu neceſſaria, Scripturas ſic eſſe obſcuras, ut illarum idcirco interprete opus habeamus, jure meritoque contendimus.

X X I.

21. Extant quidem inter Heterodoxos non pauci, qui ut Scripturarum obſcuritatem, ita & neceſſitatem interpretis pro illarum ſenſu

Digitized by Google

ſenſu determinando fatentur. Sed quod dicunt, quemque pium ac fidelem penes ſe hunc interpretem habere, Spiritum nempe Dei, ſi humiliter poſtulet; hoc certè tantum eſt impium, quantum Scripturis ipſis adverſum.

XXII.

22. Ad nos quod ſpectat, ut germanum, ac rectum habeamus obſcurarum Scripturarum ſenſum, ipſam Traditionem, alteram ſcilicet Revelationis partem à Sacris Auctoribus haud ſcripto conſignatam conſulamus primo neceſſe eſt.

XXIII.

23. Hæc ipſa alia etiam dogmata continet, de quibus non habetur in Scripturis mentio: idque intelligant Novatores, præter verbum Dei ſcriptum, dari quoque verbum traditum, paris cum illo neceſſitatis, & auctoritatis.

XXIV.

24. Audienda pariter eſt Eccleſia univerſalis, perque totum Orbem diffuſa, quæ ſine erroris periculo de doctrina, ſibi, a Chriſto Magiſtro, & Auctore ſuo relicta poteſt teſtari; adeout quidquid de Scripturarum, aut etiam Traditionis ſenſu profitetur, illud tamquam legitimum Dei verbum ab omnibus haberi debeat. Deridendos proinde hic ſe primum exhibent Sociniani, qui cum hoc inficiantur; tum illud blaterant, totam Eccleſiam, licet jam in errorem delapſam, ex ſuperſtite tamen Scriptura veritatem priſcam, ſi Superis placet, iterum poſſe ediſcere. In eumdem dein cenſum veniunt Remonſtrantes; tamenſi velint Deum pro ſumma neſcio qua miſericordia effecturum, ut aliqui Fideles, penes quos integra ſtet Evangelii veritas, ad finem uſque Mundi ſemper in Eccleſia reperiantur.

XXV.

25. Et peculiari pariter doctrina ac loco refutandi ſunt Novatorum reliqui, qui Contraremonſtrantium nomine vulgo ſalutautur. Volunt iſti integrum Paſtorum cœtum per terras late ſparſum eſſe errori obnoxium, erroremque poſſe amplecti reliquos Chriſtianos, dum interim Eccleſiæ infallibilitas ac Evangelii lux apud paucos ſarta tectaque manet. Verum ſplendidiſſima promiſſa, Epiſcoporum præſertim cœtui pro ſua inerrantia a Chriſto facta aut non intelligunt, aut intelligere negligunt iſtius furfuris nebulones.

XXVI.

26. Semel autem ſtatuta ac firmata Eccleſiæ univerſalis infallibilitate, ſponte ſua fluit inde illa Sanctorum Patrum in rebus fidei, & morum, modo omnes ſimul conveniant; cum & ſui ævi Eccleſiam ipſi conſtituerint, & illorum plurimi Paſtores fuerint Eccleſiaſque rexerint, & gubernarint.

27. Com-

XXVII.

27. Commendant quidem plurimum Heterodoxi Œcumenica, ſive Generalia Concilia, quod Chriſtifidelibus utilitatem aliquam afferant, aut certe afferre poſſint. Verum præter hancce utilitatem aliquid aliud (quod hac in re maximè momentoſum eſt) vel inviti fateantur oportet; ſiquidem Epiſcopis in Generalibus Comitiis legitime congregatis, ſi quid de rebus ad fidem moreſque ſpectantibus definiant, pronuntientve, inerrantiæ ſimiliter donum à Chriſto eſſe conceſſum, haud eſt dubitandum.

XXVIII.

28. In Eccleſia autem ſua conſtituit Jeſus Chriſtus viſibilem ſui Vicarium, qui tamquam Caput ampliſſima, ac ſuprema poteſtate illam regeret ac moderaretur. Hic vero ſolus fuit Petrus, qui, clamantibus Jeſu Chriſti pollicitationibus ei factis, atque eventu ipſo conceſſis, honoris ac jurisdictionis Primatum, ut in omnes fideles, ita habuit quoque in reliquos Apoſtolos.

XXIX.

29. Suprema porro hujuſmodi poteſtas Divo Petro collata; non ad perſonæ Petri bonum, ſed ad Eccleſiæ potiſſimum utilitatem vergere debuit; quo nempe Capite ſemel firmato, unitas in Eccleſia ſequuturis temporibus ſervaretur, omniſque præriperetur occaſio ſchiſmatis. Petro ergo in Cœlum ſublato, in Romanum Pontificem ſuum ſucceſſorem eadem jurisdictio fuit jure divino transfuſa.

XXX.

30. Tranſiit pariter in eumdem Romanum Pontificem ſplendidiſſimum inerrantiæ privilegium, quod Chriſtus Jeſus Petro tamquam totius Eccleſiæ Paſtori fuit impertitus. Hinc Romanus ipſe Pontifex cum ex Cathedra definit, *univerſalique Eccleſiæ* dogma proponit; quod fidem ſpectat aut mores, nulli errori eſt obnoxius.

XXXI.

31. Maximum item auctoritàtis pondus obtinent Dogmatici Theologici; quippe vera fide imbuti, de articulis pertractant ab Eccleſia ſtatutis ac definitis, atque adeo neceſſario credendis. Ad Scholaſticos vero Theologos quod ſpectat, certe ipſorum communis in dogma quodpiam conſenſio, ſi ex Scripturarum atque Patrum doctrina ſit collecta, & roborata, tam firmum coſtituit argumentum, cui refragari temerarium ſit.

XXXII.

32. Porro haudquaquam ſunt excludendæ a Theologo humanæ diligentiæ, ut quænam in agendis, & credendis ſuæ ſunt ipſius partes calleat; utiles idcirco eidem cenſemus eſſe Hiſtorias.

33. Qui-

33. Quinimo utiliter, ac proficue admodum conſuli ab eodem Philoſophiam atque Naturalem Rationem ſine piaculo pronuntiamus.

X X X I V.

34. Debet tamen Philoſophia, & ratio ipſa Revelationi Divinæ in omnibus ſubjici; cum ad illarum normam Religionis capita exigere, ac definire nefas omnino ſit, atque impium.

DE ARTICULIS DOGMATICIS, SEU FUNDAMENTALIBUS.

BEnè habet. Catholicæ Religionis Fundamenta poſuimus. Iis nunc ſuperædificandum ducimus, ac exponendum, quænam ſunt illa, quæ iisdem fundamentis præeuntibus, de Deo, rebuſque divinis ſciri poſſunt. Sed ne nimis quam par eſt, circa *Scholaſticam Theologiam* verſemur, normam in anteceſſum ponendam ducimus, qua Religionis dogmata, fideique articuli tutò dignoſci queant. Lapis eſt hic, in quem omnes Hæretici impingunt. Ad pauciſſima reducunt ipſi fidei capita. Putant inde mutuam inire tolerantiam inter diſcrepantes Chriſtianorum Sectas. Verùm eorum diſſenſu diſcordiæ potius, quam paci viam aperiunt: & dum maledicere volunt, maledicta produnt ſua.

I.

35. Lockius nobis primò ſe offert, qui poſt diuturnam SS.Scripturarum meditationem, conficiens ſuum *Chriſtianiſmum Rationabilem*, deceptus eſt; non tantum cum ex ſolis Evangeliis, Actiſque Apoſtolorum utpotè continentibus prædicationes ad Infideles, fundamentales articulos eruendos eſſe putavit; ſed cum inde deduxit ſolam Chriſti miſſionem fuiſſe propoſitam ad credendum iis, qui Chriſtianorum albo adſcribebantur.

I I.

36. Minus, at & ipſe deceptus eſt Joannes Franciſcus Buddeus in *Theol. dogm. lib.* 1. *c.* 1. §. 30., dum conſtituens cum Apoſtolo 1. *Cor.* 3. 11. Chriſtum ut fundamentum *reale*, & *ſubſtantiale* Religionis Chriſtianæ, & complexum eorum, quæ de Chriſto Scriptura tradit, ut fundamentum *dogmaticum*; ex utriuſque fundamenti analogia dogmaticos articulos eruendos eſſe tradit.

I I I.

37. Philippus A-Limborch ex Arminianorum grege *Theol. Chriſt. lib.* 1. *c.* 21. §. 10., decretorie at falsò profert eos ſolos dicendos eſſe articulos fundamentales, qui nedum clarè, ſed et cum nota neceſſitatis in Scripturis reperiuntur; additque eos qui in ſanctimoniam,

niam, & ſpem vitæ æternæ ita influunt, ut iis ablatis, hæc neceſſario pariter auferatur.

I V.

38. Qui ſolam claritatem verbi Dei ut normam credendorum ſibi conſtituunt, creditu ſcilicet neceſſaria ea eſſe, quæ clarè, ea non fundamentalia quæ obſcure ibi exponuntur; neſcio cur ſe clare etiam in divinis oraculis errare non videant.

V.

39. Falluntur etiam quotquot è Novatoribus ſolum Apoſtolicum Symbolum tanquam credendorum criterion ſequuntur, ſoloſque in eo expreſſos articulos pro fundamentalibus tenent.

V I.

40. Omnium Hæreticorum agmen ducit Auctor Libelli anglicè ſcripti, & gallicè redditi *La Raiſon humaine*, proprium naturale lumen teſſeram & facem ſtatuens in negotio Religionis, inquiens cum Seneca: *rationabilem ſortiris naturam, quæ melius res, quam ratio proponitur?* Sed nos ei dicimus cum Pope *Ep. 2. de Statu Hominis* ex Traduc. Gottlob.

Vade homo, mille in tuo gremio miracula geſtans,
Quò te multa trahit, retrahitque ſcientia, vade.
. . . .
. . . . *Mox deinde reverſus*
Tecum habita, & noris, quam ſit tibi curta ſuppellex,
Quam ſis cum ſana ratione inſanus, & infans.

V I I.

41. Oh mirus in re graviſſima diſſenſus! Cui credam? Cur credam? Libertatem Evangelicam exaltant Ariſtarchi noſtri, dum dictis ſuis ſtare jubemur. Auctoritatem infallibilem averſantur, dum hanc ipſi ſibi auctoritatem faciunt. *Qu' on me preuve aujourd' hui*, ajebat vel ipſe Rouſſeau *Lettres ecrites de la Montagne*, *qu' en matiere de foi je ſuis obligé de me ſoumettre aux deciſions de quelqu' un, de demain je me fais Catholique, & tout Homme conſéquent, & vrai ferá comme moi*. Ne ergo ab iis expectemus firmum ac rationabile fidei ſyſtema.

V I I I.

42. Exoptant Hæretici ex corde diſſenſum tollere, conſequenter ratiocinari, cujuſcumque ſtatus Homini Religionem accomodare? Accipiant facilem, & expeditam Catholicorum normam, breviter, ſed ſummo rationum pondere a Fratribus Adriano, & Petro de Walemburch illuſtratam, *Tract. gener. de Contr.*, Verbum nimirum Dei qua ſcriptum qua traditum ab infallibili Eccleſia declaratum, & omnibus ad credendum propoſitum.

43. Om-

IX.

43. Omnia proinde revelata, ſi per Eccleſiam de eorum revelatione certo conſtat, indiſcriminatim creditu neceſſaria eſſe dicimus; pœnitus rejicientes ut commentitiam, & inutilem diſtinctionem illam a Jurieu præcipue defenſam contra Nicolium de *fundamentalibus*, & *non fundamentalibus* ex veritatibus revelatis; niſi ipſa in ſenſu a Cl. Holden in *Analyſi Fid. div.* expoſito, de implicite uempe, expliciteque credendis, admittatur.

X.

44. Vale ergo Tolerantiæ dicendum erit? Vale huic ſplendidiſſimo Eccleſiæ characteri, ut Lockius loquitur, *Lettre ſur la Tolerance*? Vale ſtipendio humanitatis, ut dicitur ab auctore *Dictionaire Philoſophique portatif*? Vale: iterumque vale. Errorem non poſſumus non odiſſe: errantes vero cum caritate amplectimur, ac in viam Domini adducere conamur. Adeſt namque diſcrimen maximum inter Religionis profeſſores tolerare, & Religionem ipſam approbare; ut inquit vel ipſe Monteſquieu *Eſprit des Loix Tom. III. Liv. XXV. Ch. IX.*

XI.

45. Dictis facta non cohærere nobis criminantur Hæretici ob S. Inquiſitionis inſtitutum Tribunal apud Catholicos, cujus effectus tetris depingunt coloribus, ut deteſtationem, & odium in animos Legentium ingerant. Jus dumtaxat hic nos perpendentes, liberè aſſerimus nil rectius, nihilque Reipublicæ tranquillitati accommodatius eſſe, quam Tribunal, in quo Miniſtri Religionis integritati invigilent, atque pertinaces rebelles curent ex ea ejiciendos.

De Deo uno, ejuſque attributis.

CHriſtianam Theologiam divinæ innixam eſſe Revelationi per teſtes, & interpretes infallibiles declaratæ, cujus exiſtentiam recta ratio invictè probat, dein concomitatur ac ſequitur, diffitebitur nemo. Deum ergo exiſtere non demonſtrat, ſed ſtatuit in anteceſſum tanquam ipſa natura exploratum. Opus non eſt Libris ut Deum cognoſcamus, inquit vel ipſe Rouſſeau *Em. par. 3. pag.* 177. Cum vero Atheiſmi dogmata longè in hoc ſæculo graſſentur, non incaſſum opus noſtrum abibit, ſi in Atheos pauliſper orationem vertamus.

I.

46. Exiſtere Deum, cauſam ſcilicet rerum omnium intelligentiſſimam, infinitis præditam attributis, & a materia prorſus diſtinctam, invictè in primis evincunt ea argumenta metaphyſica ex con-

tiugentia rerum deprompta, quæ a Lockio in 4. *de Intel. Hum. Cap.* 10., & a Clarkio *de exiſt.*, *& attr. Dei*, perbellè adornata fuere.

I I.

47. Ad rem eandem ita nos perducunt phyſica argumenta ex univerſi aſpectu, rerumque naturalium finibus confecta, quæque Nievventitius in clara luce collocavit; ut qui leviter illa contemplati fuerint, non poterunt non averſari Epicureorum caſum.

I I I.

48. Non ergo, *Jupiter eſt quodcumque vides*, *quocumque moveris*, ſi Poetæ verſu uti licet: ſecus ac Spinoza in *Eth.lib.* 1. ferreo ore pronunciavit ſuo abſurdo ſyſtemate de ſimpliciſſima Univerſi ſubſtantia duplici eſſentiali attributo, cogitatione nimirum, & extentione, donata.

I V.

49. Hominum conſenſum ad Deum ſtabiliendum infirmum eſſe putant Parckerus, & Bayle: aſt immerito; ſive enim gentes omnes Deum teneant ex traditione, & ſunt certiſſimus ejus traditionis teſtis, quæ apud nos nonniſi a Deo proficiſci poteſt: ſive ratione id aſſecutæ ſunt, & vocem naturæ referunt, inquit egregie Tullius.

V.

50. Ad Dei attributa inveſtiganda accedimus, atque utroque ſimul rationis, & revelationis medio illa contemplabimur. Eminet primo Dei unitas arcto conjuncta vinculo cum ejus exiſtentia: *Si Deus unus non eſt*, *non eſt*, ait Tertullianus.

V I.

51. Malorum origo philoſophicè explicatur, demonſtraturque hujus univerſi mala moralia præſertim contra Dei Sapientiam, & Bonitatem non decidere; nam, *adſcribunt ſuperis homines mala*, *cum tamen ipſi criminibus propriis ſibi talia damna crearint*. Corruit hinc nodus ille Herculeus, quem tantopere fecit Bayle pro Manichæorum cauſa.

V I I.

52. Ad mali Numinis exiſtentiam vetus alligabant Teſtamentum Manichæi tanquam ejus partum illud calumniantes. Putidum commentum; grates ſolidis D. Auguſtini rationibus, ut vidimus ſub titulo de S. Scriptura. Recentiores increduli ſubdolè nimis novas produnt in Scenam calumnias. Quibus leonociniis, fraudibuſque ſimul non conatur auctor *dict. Philoſ. port.*, ut de cæteris ſileam, Ezechielis librum ut impuritatibus ſcatentem traducere? Sed irrito conanu id fieri diffitebitur nemo.

V I I I.

53. De Dei ſimplicitate non eſt cur ſpeciatim ediſſeramus. Sponte

te illa fluit ex dictis contra atheos. Antropomorphitæ digni non ſunt, ut refutentur. Perſcrutemur tantiſper illius æternitatem. Cum æternitas ſit continuata entis æterni exiſtentia, ſi nulla in illo ſucceſſio phyſica, nullaquoque in iſta erit adſtruenda. Eſt tamen ſucceſſio quædam, quam metaphyſicam appellamus.

I X.

54. Eſt & immenſus Deus non ſcientia & potentia tantum, ſed natura, & eſſentia. Cave ne illam confundas ut Morus & Clarkius cum extentione vacua. Malumus de immenſitatis natura noſtram profiteri ignorantiam, quam ideis noſtris metiendo Dei attributa ad Pantheiſmum inclinare.

X.

55. Gaudet & plenitudine ſcientiarum. *Oculus Jovis cuncta intuetur, atque intelligit*, ut eſt vel ipſorum Gentilium ſententia. Futura contingentia ejus etiam ſubeſſe ſcientiæ, tot teſtes habemus, quot fecit Prophetas. *Annuntiate*, deridebat gentium Deos Iſaias, *quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dii eſtis vos*.

X I.

56. Rident Sociniani hanc contingentium futurorum ſcientiam, quod medium, in quo illa Deus noſcit, aſſignare non valemus. Conſueta hæc eſt horum hominum ratiocinandi methodus, quam Logicæ regulis aptam non videmus. Noſtra finita intellectio infiniti adæquata non eſt menſura. Si tamen conjecturis dandus eſt locus, veroſimiliter putamus in ideis ſuis intelligibilibus, mundoque intelligibili futura illa Deum certo pervidere.

X I I.

57. Voluntate præditum eſſe Deum nemo auſit negare. Remove ab illa voluntatis noſtræ defectus. Quæ vult Deus omnia ſimul vult, ſemper eadem, & ſine ulla animi ſuſpentione. Remove & affectus varios humanos, qui animi conturbationem includunt, ne Deum hominibus ſimilem ſtatuamus.

X I I I.

58. Divinæ voluntatis diverſas fecere partitiones Theologi, non ut rem ipſam dividerent, quæ una eſt; ſed ut facilius intelligeremus quibus rationibus divina voluntas rerum ordini adaptetur. Exſecranda tamen eſt diviſio a Jurieu tradita *lib. de Pace inter Proteſtantes ineunda*, in *legislatoriam*, *& decretoriam* voluntatem. *Hæc de Tyrannis dici poſſunt*, inquit Puffendorfius *in Jure feciali divino* §.71. *queis leges adhibentur ad emungendos pecunia ſubditos*.

X I V.

59. Hucuſque expoſita Dei attributa eo nos conducunt, ut pro-

nunciemus omnimoda ipſum gaudere immutabilitate. Si ſimplex, æternus immenſus omniſcius perfectiſſime volens: ergo immutabilis quoad ſubſtantiam tempora loca & decreta. Precibus quantoque noſtris indulget Deus, ipſe vero non mutatur; ſed animos noſtros præparat, ut gratuitis ſuis donis digni ſimus, quemadmodum doctiſſime ediſſerit Auguſtinus *Lib.1.de Serm.Domini in Monte*.

X V.

60. Si Scripturarum oracula vel leviter attendantur, lucem inhabitare Deum inacceſſibilem clarè patebit. Si lumine gloriæ adjuvetur intellectus creatus valebit Deum intuitive videre: divina enim effata tanquam bonorum omnium mercedem in altera vita hanc nobis viſionem pollicentur.

X V I.

61. Et quidem ſtatim a morte; ſi animæ Juſtorum nihil habeant quod luant. Inanem Pontificiorum ſpem hanc eſſe exclamat Burnetus copioſiſſime agens Novatorum partes in *Lib.de Statu Mortuorum, & Reſurgentium*; cum expectandus ſit ultimus judicii dies. Expectet ipſe. Nos, Paulo duce, cupimus diſſolvi & eſſe cum Christo.

X V I I.

62. Inanis potius ſpes, meraque fabella erit Regnum Chiliaſtarum, quo idem citatus auctor impensè delectatus fuit. Regnabit enim Chriſtus non per mille annos, ſed in æternum; cum Regni ejus non erit finis.

X V I I I.

63. Viſio autem intuitiva cum differtur, iis dumtaxat juſtorum animabus differtur, quæ corporum vinculo ſolutæ poenam aliquam temporalem luere debent: vel quæ venialibus peccatis obnoxiæ hinc migrant: detinentur enim alicubi; quouſque juſtitiæ divinæ plenè ſecerint ſatis. Quare exiſtit Purgatorium, quod tantopere improbant novatores.

X I X.

64. Caveant ſibi propterea tam perditi homines ne dum Purgatorium tanto conatu declinare ſtudent, Inferni pœnas temerè ſibimetipſis cudant. Has eſſe æternas, ac nunquam deſituras S. Litteræ expreſſe teſtantur. Damnatorum partes ſuſcipiunt Burnetus, & auctor Libri *Lettres ſur la Religion eſſentielle a l' Homme*: ſed dum aliorum cauſam patrocinantur, propriam reddunt perditiſſimam.

X X.

65. Non aliam, quam animæ mortem, & annichilationem Deum comminatum fuiſſe impiis contendunt Sociniani a Lockio ſecuti; adeout igne in nihilum ſint redigendæ damnatorum animæ juxta Domini præceptum: *in quacumque die comederis morte morie-*

ris

Digitized by Google

ricris. An id ſit Scripturas interpretari, an potius pervertere ipſi per ſe vident æqui rerum æſtimatores.

XXI.

62. Cum pœnarum æternitatis hoſtes undique ſe preſſos videant graviſſimis verbi Dei momentis, cauſam alio avocare ſatagunt, ad Tribunal ſcilicet humanæ rationis, in quo victoriam certiſſime conſecuturos confidunt. At deſinant methaphyſici noſtri ita ratiocinari: *eſt enim hominibus cum Deo rationis ſocietas*; &, *nunquam aliud natura, aliud ſapientia dicit*.

XXII.

67. Satis de divinis attributis, ne in infinitum excurrat oratio noſtra, cum ſupremi entis proprietates infinitæ ſint numero, & intenſitate. *Qui menſus eſt*, eleganter Iſa. c. 40., *pugillo aquas, & cœlos palmo ponderavit*. Hæc autem Infinitas non relativa, & juxta ideas noſtras, ut viſum eſt Socino, Arminio, Hobbeſio, ſed penitus abſoluta eſt dicenda.

XXIII.

68. Adhuc heic morandum eſſe nos cohibet Auctor, *Syſteme de la nature*; qui Cap. 3. Chimeras reputat Dei proprietates, utpotè terminis negativis ſint expreſſæ. Chimeræ ne ſunt natura, atque elementa a Philoſophis indiviſibilia, immutabilia appellatà? Non ergo in vocibus, ſed in ideis omnis quærenda eſt affirmatio, vel negatio.

De Deo Trino.

I.

69 Ergo age mortalis, demiſſæ mentis, & oris eſto homo. Profunda Dei ne ſcruteris & uſque ad Altiſſimum ne pertingas. Unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate humiliter veneremur: quin audeamus cum Incredulorum turba tantum Myſterium æterno. & immutabili rationis lumini contrarium traducere, quia ideis noſtris commenſurare non valemus.

II.

70. Divina oracula ſint nobis lux, qua illuminamur. Pluralitatis enim quin & Trinitatis Perſonarum non obſcura veſtigia exhibet vel ipſum vetus Teſtamentum. Ex novo tamen præſidia ſunt eruenda ad illius intelligentiam; cum nefas ſit in interpretandis Prophetarum dictis impreſſas Apoſtolorum ſemitas non calcare.

III.

71. Si ad novum fœdus cauſam appellemus, undique copioſam ſegetem reperiemus ad S. Triadem ſtabiliendam. Nil intentatum re-

Digitized by Google

relinquunt Sociniani, & cum ipſis Lockius, Clericus Grotius illorum gemellas tricas approbantes, ut Catholicorum tela elidant. Sed quo magis adnituntur eo magis implicantur.

I V.

72. Neque tenebras Catholicorum argumentis ſpargere valebunt, dum præcipuum illud Joan. *Ep.* 1. *c.* 5. *v.* 7. præclarum teſtimonium ut adſutum venditant: Critices enim regulæ apertè perhibent veræ genuinitatis characteres in illo minime deeſſe.

V.

73. Sed expedit ſingillatim de Divinis Perſonis ediſſerere. De Filio præcipuè plura dicenda ſubminiſtrant Sociniani, & Ariani. Quamvis utraque hæreſis, ſi odium ſpectemus veritatis, finitima & conjuncta: ſi commenta, & conſequentia incommoda, mira varietas! Primi dejicientes Chriſtum ad ſimplicis hominis conditionem, coguntur in humana natura explicare quomodo Dei Filius, Deus & Verbum ſit. Ariani vero concludunt Chriſtum non ſemper extitiſſe, quia eſt Filius Dei, quia per ipſum omnia creata. Deliteſcere non poſſunt illi in Catholici ſermonis imitatione: iſtis vix latebræ deſunt; ut vetuſta hiſtoria, & nuper editus a Samuele Clarke Libellus, *Doctrina Scripturæ de Trinitate*, præbent exempla.

V I.

74. Catholicum ſtat dogma in Scripturis infinities iteratum, Verbum Dei Deum eſſe, Patrique conſubſtantiale.

V I I.

75. Quo vehementius de Verbi divinitate Spiritus S. intonuit initio Evangelii Joannis, eo ſubtilius unitarii conatus omnes contra divinum oraculum incitarunt. Joannes Clericus viam aperuit utilem ad illius explicationem (ſi tamen aliquid inſit obſcuri) dum ex Philonis ſententia, & Hæreticorum Apoſtolis coævorum initium illud illuſtrari poſſe autumat. Sed ad lucem undique circumfluentem cæcutit, putans inde præſidia unitariis afferre.

V I I I.

76. Corruunt hinc ex ſe aniles Unitariorum fabellæ de doctrinæ immutatione in Eccleſia invecta circa Trinitatem, *Platoniſmus, Platoniſmus*, eſt communis eorum vox, *primum ſinceram Apoſtolorum traditionem vitiavit*. Si veteres audias Artemonitas dogma de Filii divinitate ſub Zephirino natum reperies. Si recentiores, ſub Juſtino. *Philoſophiam primò Juſtinus adhibuit*, ſunt verba Auctoris Platon. Ret., *poſt eum Victor Tyrannidem*. Aſt vel eorum diſſenſus præbet falſitatis indicium: Labilitas enim & inconſtantia ſequuntur errorem.

77. Rei

77. Rei gravitas poſtulat fuſiori Sermone hæc proſequi. Zuickerus auctor Iren· Iren. non ſatis verſatum in doctrina D. Juſtini ſe oſtendit, venditans S. Martyrem vel Platonica philoſophia abreptum vel Orphicis carminibus aliiſque de cauſis deceptum Verbi divinitatem primum in Eccleſiam invexiſſe. Qui potuit peculiaris homo toti Eccleſiæ imponere? Quinam fuere ipſius Apoſtoli?

X.

78. Audacter etiam citatus Auctor affirmat Ebionæos, eos ſcilicet, qui Chriſtum ex Virgine natum profitebantur, ſed Deum eſſe negabant, non alios fuiſſe quam Nazaræos ſive omnium primos Hieroſolymitanos Chriſtianos, qui ab Apoſtolis edocti, ſacrum depoſitum religiosè nimis aſſervabant.

X I.

79. Novitatis a Juſtino, at aliis Philoſophis allatæ fabula non ſatiavit horum hominum aviditatem calumniandi. Ne Synodo quidem Nicænæ pepercerunt, cui ne Ariani verbo maledicere audebant. Si Curcellæum *Quatern. diſſ.* 1., & Clericum *Biblioth. Tom. X*, audiamus, Patres illos poſt tam illuſtrem ex Arianis reportatum Triumphum, in Tritheiſmi crimen, quod Arii inſaniam longe ſuperat, aliquando deſcendiſſe gratis omnino pronunciant.

X I I.

80. Hæc delibaſſe ſatis de Filio Dei. Pauca nunc de S. Spiritu. Cum hic attributis, nominibus, actionibuſque diſtinguatur propriis, non pura qualitas, non mera efficientia, ac virtus eſt, ſed perſona a Patre, & Filio diſtincta.

X I I I.

81. Non negant id Pneumatomachi, ſed Spiritus S. divinitatem detrectant recognoſcere; qua in re Unitariis longe imperitiores ſe demonſtrant.

X I V.

82. Concedunt Græci Schiſmatici temporaneam, externamque Spiritus S. a Filio proceſſionem, negant vero æternam, ac internam, Sed cum hæc illius ſit cauſa, vel priorem proceſſionem ſi tanti ſint, denegent; vel poſteriorem quoque fateantur oportet. Non ſolum ergo a Patre verum etiam a Filio Spiritus S. procedit.

De Deo Incarnato.

I.

83 INeffabile Incarnationis Myſterion in eo poſitum, quod ſub una Verbi Perſona duæ exiſtant inconfuſæ naturæ, divina una,

una humana altera, dum *ſupra rationem* ponimus, *contra rationem* tamen non eſſe tuemur. Rejicit Bayle hanc diſtinctionem iis profecto argumentis, quibus oſtendit illius legitimum ſenſum non percepiſſe.

I I.

84. Multa, & implexa nimis de tanto Myſterio expendenda occurrunt: quod ut ordine fiat, Chriſtum Dominum conſiderabimus primo ut Meſſiam, dein ut Deum, tandem ut Hominem. Meſſiam in lege promiſſum jamdudum veniſſe diſcant Judæi ex Jacobi oraculo *Gen.*49. in eo namque de Meſſia, deque ipſius adventus tempore clare pertractatur. Ceſſet ergo Clericus in Comm. ad hunc locum, ſua adinventa explicatione ſuppetias Judæis ferre.

I I I.

85. Profitentur id quidem nonnulli Judæorum, tametſi Meſſiam adhuc opperiantur. At quem ipſi expectant Meſſiam, Judicem ſuſtinebunt ſeveriſſimum; quippe præfatum oraculum jamdiu adimpletum eſt, atque in Jeſum Nazarenum Servatorem noſtrum adamuſſim quadrat.

I V.

86. Quamvis hæc communiter teneant eruditi Chriſtiani contra Judæos, plurimum tamen diſcrepant inter ſe, dum intimius Vaticinii ſenſum ſcrutari velint. Nobis hæc ſtat ſententia ut per *Judam* peculiarem accipiamus Tribum Juda: per *Schebeth* vero, & *Mhhokek* quamcumque regiminis formam ſive Monarchicam, ſive Synhedricam, cui ſemper aliquis de Judæ ſemore præeſſe debebat.

V.

87. Adhuc graviter Judæorum mentem premit ſpectabilius aliud oraculum, quod Danielis 9. legitur de LXX. Hebdomadibus: In eo namque ejuſmodi delineantur characteres, qui non Cyro, Agrippæ Juniori, Nehemiæ &c., ut viſum eſt Judæis, non Antiocho Epiphani ut cenſuit Marshamus, ſed ſoli Meſſiæ in V.L. promiſſo aptari poſſunt.

VI.

88. Accuſatus Harduinus de aſſerto Marshami ſyſtemate, egregie ſeipſum purgavit. Nec ſane injuria cum non ſemel nec una in re ab Anglo illo diſſideat. Fatetur Harduinus Danielis Prophetiam Meſſiam reſpicere, licet emblemate quodam futuris Jeſu Chriſti eventibus præluſiſſe ait quæ ſub Macchabeis in Onia Sacerdote & violato Templo evenere. Hanc ſententiam non ſpernendis conjecturis innixam eſſe putat Calmet. Aſt ſuis non carere chronologicis nævis, præeunte Houtteville, libere profitemur.

V I I.

89. Dubitandum amplius non eſt Judæis, quin hoc Oraculum fuerit adimpletum; Jeſu enim Nazareno veriſſime, aptiſſimeque reſpondet.

90. Ini-

VIII.

90. Initium, finiſque LXX. Hebdomadum in implicata nimis quæſtione ponitur ab eruditis. Nobis quantum permittit rei obſcuritas, & ſententiarum varietas, magis arridet ab anno ſeptimo Imperii Artaxerſis Longimani eas numerare.

IX.

91. Satis de Chriſto ut Meſſia. Jeſum Nazarenum Dominum noſtrum verum eſſe Deum, Dei Filium, Patrique conſubſtantialem non eſt cur dubitent Sociniani ſi pauliſper perpendant (præter expoſita ubi de Deo Trino) quid de ſe Judæis Chriſtus prædicaverat, quid fidis diſcipulis commiſerat, quo ſenſu ipſius dicta Evangeliſtæ acceperant, quid tandem cæteri S. Scriptores ea de re docuerint.

X.

92. Qui clarius exprimi poterat Servatoris noſtri divinitas, quam in controverſia habita cum Judæis apud Joannem Cap. 5. 6. 8. 10.? Ad ſolam miſſionem, & adoptivam Filiationem litem amandare cum Lockio, & Grotio, eſt velle litigare, non litis cardinem dignoſcere.

XI.

93. Jubent S. Litteræ, ut honorificemus Filium ſicut & Patrem. Deus eſt ergo Filius. Quam invictum ſit hoc argumentum pro Chriſti Divinitate, ſatis liquet ex diſputatione Fauſti Socini cum Chriſtiano Frankenio, ubi infauſtiſſimum Hæreticum miris anguſtiis preſſum, atque ad incitas planè ab adverſario ſuo redactum comperies.

XII.

94. Notatu autem hic dignum videtur immerito Georgium Bullum in Diſſ. *Primitiva, & Apoſtolica Traditio de Jeſu Chriſti divinitate*, & Joſephum Binghamum, *Antiq. Eccleſ. Tom. 5.*, contendere prædicti argumenti robur Romanenſes enervare ob cultum Sanctis impenſum. Latum eſt enim diſcrimen inter Chriſti adorationem, & Sanctorum venerationem, ut infra dicemus.

XIII.

95. Novæ pacis inter Chriſtianos colendæ Moderatores Remonſtrantes mordicus tenent Chriſti divinitatem creditu neceſſariam haud fuiſſe habitam tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis. Mirum eſt hic agmen ducere Simonem Epiſcopium, qui in *Reſp. ad Ep. Wading.* apertè profitetur ſe in Sanctorum Patrum ſtudio operam magnam non ponere, ne *in muſtaceo aureolam quærat*. Ab imperito antiquitatum quid expectes, niſi errorem?

XIV.

96. Vertamus ſermonem ad Chriſtum Hominem. Aſſumpſit Verbum veram, ac phyſicam carnem, noſtræ prorſus ſubſtantialem, non umbratilem ut olim ſomniarunt Phantaſiaſtæ.

X V.

97. Hanc porro carnem ex Immaculato B.M.V. utero Dei Verbum aſſumpſit: ipſa namque ſpeciali prærogativa a Deo electa Virgo fuit & Mater: Virgo quidem non ſolum ante partum, ſed in partu, & poſt partum.

X V I.

98. Mater autem, & Mater quidem Dei, quippe quæ illum concepit, ac peperit, qui verus Deus in ſui hypoſtaticam unionem naturam humanam ſibi copulavit, ſecus ac aſtutus Neſtorius inficias ivit duas perſonas in Chriſto adſtruens.

X V I I.

99. Logomachia laboraſſe controverſiam inter Neſtorium & Cyrillum ſcribit Bayle *Dict. Hiſt. Crit.*, additque poſſe quempiam Virginem Mariam in recto quidem ſenſu Chriſtiperam appellare, quin dogma de hypoſtatica unione pervertat. Hæc ſcribit ille: hæc nos penitus reprobamus.

X V I I I.

100. Conjunctio Verbi cum humana natura tam arcta viſa fuit Eutycheti, ut promiſcuam naturarum confuſionem in vulgus ſparſerit. Contra vero dogma eſt Catholicum naturas in Chriſto poſt Incarnationem inconfuſas, impermixtas, atque ad invicem diſtinctas perſeverare.

X I X.

101. Abs Eutychianorum familia manifeſto ſe oſtenderunt exortos Monothelitæ, qui duplicem voluntatem, duplicemque operationem a Jeſu Chriſto abſtulere.

X X.

102. Inquiſitio eſt perdifficilis & Socinianorum diſputationibus longè famoſa de vera Chriſti ſatisfactione. Ut autem omnis auferatur ambiguitas, qua plures hac de re laboraſſe cenſet Buddeus, itaut nec ipſum Grotium excipiat Juriſconſultus Henricus Humberus; aſſerimus primo Chriſtum verum fuiſſe Sacerdotem, cujus Sacerdotii duas ponimus quaſi partes, oblationem Sacrificii, & interceſſionem.

X X I.

103. Quoniam autem peccato Adæ omnes naſcuntur Filii iræ: ponimus ſecundo Æternum Patrem poenam peccatis debitam in Filium ſuum conjeciſſe. Tertio tandem illas Filium lubenter ſuſcepiſſe, ac morte ſua commutaſſe. Hiſce præjactis penitus ruit metaphorica a Socinianis ſtatuta redemptio.

X X I I.

104. Alia ex parte eandem Chriſti ſatisfactionem fruſtra impetere tentant Calviniani, ac Janſeniani, qui contra veram, ac ſinceram,

Digitized by Google

ram, quam erga univerſum genus humanum habuit beneficentiſſimus Redemptor, voluntatem, pro ſolis electis, ac prædeſtinatis mortuum fuiſſe pejerant.

X X I I I.

105. Chriſto Redemptori cultus ſupremus qui Latriæ dicitur, debetur. Atque ne ulla obrepat anphibologia, nitidè dicimus humanam Chriſti naturam hypoſtaticè Verbo conjunctam eodem cum ipſomet Verbo cultu eſſe afficiendam.

X X I V.

106. Sine ulla in primarium mediatorem noſtrum injuria mediatores alii Sancti ſcilicet vita functi, religioſo cultu a Catholica Eccleſia adhibentur; eorumque in Cœlis regnantium invocatio licita eſt, pia & utilis.

X X V.

107. Quid dicendum de cultu SS. Imaginibus exhibito? Hic eſt lapis offenſionis per Novatores. Nullum eſt Romanæ Communionis doctrinæ caput, quod indignius accipiant. Aſt æquiores ſint; quippe SS. Imaginum uſum nuſquam prohibitum reperiemus, illarumque cultum nil deformitatis continere ſed potius pietati convenire deprehendimus.

De Divina Gratia.

De Divina Gratia ediſſerentes, illius nomine non naturæ beneficia, ſed ſupernaturalia gratuita dona intelligimus cum Theologis. In duplici ſtatu illa ſpectari poſſunt vel naturæ innocentis vel corruptæ. De priori illo ſtatu verba non faciemus. Ad poſteriorem ſtudia noſtra convertimus, cum multa, & graviſſima ſint quæ dicenda occurrunt. Ab Adæ lapſu, qui initium duxit peccati, incipiemus.

I.

108. Caput eſt Chriſtianæ Religionis in Scripturis apertiſſimè declaratum omnes homines naſci in peccato, lapſumque Adami univerſum humanum genus commaculaſſe. Cur ergo Pelagiani Auguſtinianum commentum hic recognoſcunt? Audiant quomodo S. Doctor *Lib.2. de Nup. & Conc.* Pelagio reſpondit: *non ego finxi originale peccatum, quod Catholica fides credidit antiquitus; ſed tu qui hoc negas, ſine dubio es novus hæreticus.*

I I.

109. Inter Socinianæ ſectæ fautores Lockius *Cap.1. Chriſt. Ration.* ita de originale labe ediſſerit, ut illam a peccati pœnalitatibus non diſtinguat, in morte, miſeria ac dolore collocans illius natu-

Digitized by Google

ram. Sed niſi vim inferre vellmus S. Paginis, certum conſtabit non per externam imputationem, ſed interna contracta macula illud transſundi.

III.

110. Quoniam ergo Adæ peccato homines a Deo averſi ad creaturas ſe converterunt: duo maximè mala contraxerunt; exciderunt nimirum ab immortalitate, & jure beatitudinis adipiſcendæ; & imbecilles atque infirmi ad legem obſervandam, evaſerunt. Quocirca eos miſeratus Deus non ſolum fœdus gratiæ iniit, promiſſo Liberatore; ſed auxilia particularia præſtitit, præſtatque ad legis obſervationem. Inde hæc ſequuntur. Sine gratia Dei præveniente, concomitante, & ſubſequente nemo credere poteſt ea fide quæ neceſſaria eſt ad ſalutem.

IV.

111. Sine eadem gratia bona vitæ æternæ amare, & ſecundum legem Dei vivere non poſſumus.

V.

112. Hæc divina gratia non tantum exterior, ſed & interior eſt.

VI.

113. Illuminat intellectum, accendit voluntatem & operatur in nobis accomodatè ad noſtram naturam, non eam evertendo, ſed perficiendo; adeoque ſartam tectam libertatem noſtram relinquendo,

VII.

114. Libertas noſtra gratiæ Dei excitanti, & moventi reſiſtere poteſt, & quandoque reſiſtit, ne eum habeat effectum, ad quem eſt deſtinata: hinc nec ſola libertas, nec ſola gratia efficit noſtram ſanctitatem.

VIII.

115. Hæc ex corde profitentur omnes Catholici, etiamſi fraterne, ut decet bonos viros, diſputent inter ſe undenam gratiæ efficacia ſit repetenda an ab intrinſeco an ab effectu. Quocirca miramur Bayle Eccleſiam Catholicam criminari, quod *ſua prætenſa infallibilitate*, ut ironicè effatur, anathemate non feriat litigantium oppoſitas ſententias; quaſi ac qui ab effectu gratiæ vim deducit, prævenientis gratiæ neceſſitatem non recognoſcat: & qui ab intrinſeco, libertatem noſtram penitus deſtruat.

IX.

116. Præter hæc dona, quæ inſtar actus largiuntur a Deo hominibus, eſt & aliud quod ut habitus impertitur, atque *habitualis gratiæ* nomine inſignitur; quod cum fundamentum conſtituat hominis juſtificati, de ipſa juſtificatione agemus. Cum hominis juſtificatio ſit tranſitus a ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, quid abſurdius excogitari poteſt ſententia vel Lutheri putantis juſtificationem noſtram eſſe ipſum Chriſtum inhabitantem in nobis; vel Calvini illam collocantis in imputatione juſtitiæ Chriſti, ſolaque remiſſione peccatorum?

117. Cum

X.

117. Cum in ſtatu hominis peccatoris inſit reatus culpæ, & pœnæ, ſitque homo averſus a Deo per nimium amorem ad creaturas, Deuſque ei iratus ſit; ad juſtificationem hæc erunt neceſſaria: ut culpa deleatur; remittatur pœna, reſtituatur homini charitas Patris, exciteturque in ipſo amor erga Deum ad contemptum creaturarum per Spiritum S. inhabitantem in nobis. Hunc hominem juſtificatum appellamus.

X I.

118. Hæc non reſpuunt reccentiores Novatores ut inter Lutheranos Buddeus *Theol.Dogm.lib.*4. *C.*4., inter Calviniſtas Witſius *de Occon. Fæd. Dei lib.*3.*C.*8., & inter Remonſtrantes Limborckius in *Theol.Chriſt. lib.*5.*C.*4., ſed regenerationem, & abſolutionem, & Sanctificationem Catholicos confundere clamitant. Verum quid refert tres illos actus unico juſtificationis vocabulo appellare? Mera eſt logomachia, cujuſmodi quæſtiones longè abſunt a Theologorum gravitate.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

I.

119 SAcramentorum ope fuit a Chriſto Domino conſtitutum gratiam ſuam nobis impertiri. Ea autem ſeptem omnino ſunt; ut adeo quemadmodum fide Catholica ad ampliorem numerum extendi non debeant, ita nec viceverſa ſint ad minorem coarctanda.

I I.

120. Illorum autem Auctor unus eſt, ac ſolus Jeſus Chriſtus, idque ſine cunctatione adfirmamus, cum S. Scripturæ, atque Eccleſiæ Patres præclariſſime illud teſtentur. Quare merito Tridentinum Concilium in ſecus ſentientes anathema intorſit.

I I I.

121. Conſtat porro unumquodque Novæ legis Sacramentum rebus tamquam materia; & verbis tamquam forma: ut enim per ſe vagum eſt elementum, ita voluit Chriſtus ad perfectam ſignificandam illius cum gratia analogiam, ut per quod accederet verbum, determinaretur.

I V.

122. Perficiuntur quoque Sacramenta per Miniſtri intentionem, quæ debet eſſe faciendi, quod facit Eccleſia. Inde fit ut irrita ac inania exiſtimemus Sacramenta, ſi Miniſter exterius opus ſerio intendat, dum interim latentem animo ſuo fovet deliberationem, non conficiendi rem ſacram.

123. A

V.

123. A Miniſtrorum ſanctitate ac pietate vim atque energiam ſuam Sacramenta non mutuantur. Debitam ergò uſurpent illi materiam, formam cum interna intentione opportune adhibeant, quantumvis ſint ſceleſtiſſimi, veri nominis Sacramentum conſecrant.

V I.

124. Omnium Novæ legis Sacramentorum præcipuus effectus eſt gratia ſanctificans; quam in non ponentibus obicem ex opere operato ea producere contra Novatores Catholica Eccleſia definiit. Hactenus de Sacramentis in genere, nunc vero de aliquibus nominatim Sacramentis ſermonem inſtituimus.

De Baptiſmo.

I

125 BAtiſmati Chriſtiano etſi tanquam typus, & figura illud Joannis præluſerit; maximum tamen inter utrumque intercedit diſcrimen non quidem ſolius manus; ut Calvino viſum eſt, ſuiſque gregalibus; ſed virtutis, & efficaciæ.

I I.

126. Valet Baptiſma per aquæ aſperſionem, aut effuſionem adminiſtratum: hoc qui negant, Græcos Schiſmaticos manifeſtiſſime ſe produnt.

I I I.

127. Per expreſſam SS. Trinitatis invocationem, juxta Chriſti præceptum, Sacramentum hocce peragendum eſt: unde vacuum prorſus eſt, ac nullam, ſi ſolius Chriſti, aut unius alterius Trinitatis Perſonæ nomine tantum conſacretur.

I V.

128. Quemcumque autem hominem voluit Chriſtus eſſe hujus Sacramenti Miniſtrum: adeout ne Hæreticos quidem ab illius valida adminiſtratione poſſumus excludere; ni velimus quod traditum eſt innovare.

V.

129. Abſolutam Baptiſmi neceſſitatem pernegant Sociniani. Quadam dumtaxat convenientia illud uſurpaſſe Apoſtolos ſcribit Volkelius *lib. 6. de vera Relig. C.14.* Aſt in contrarium ſtat dogma Catholicum, quod niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poterit introire in Regnum Dei.

V I.

130. Infantes quoniam a baptiſmatis effectu extorres non ſunt, nec etiam ab ipſo baptiſmate debent removeri tamquam incapaces. Valide ergo non ſolum ipſi baptizantur ante rationis uſum; ſed expedit, ut in tenella illa ætate Sacro Fonte abluantur.

131. Ba-

131. Baptiſmus dum hominem regenerat, conſtituit ipſum adoptivum Dei filium, ac Chriſti membrum; ita quidem ut & omnium peccatorum culpam abſtergat, & pœnam pro illis luendam plenè remittat.

V I I I.

132. Peculiarem inſuper operatur in anima effectum, characterem nempe. Eſt autem character ſpirituale, ac indelebile ſignum animæ impreſſum, vi cujus ſemel ritè collatum, reiterari nequaquam poſſit illud Sacramentum.

De Euchariſtia.

I.

133 EUchariſtia alterum eſt Novæ Legis Sacramentum, quod præ reliquis effuſiſſimam Reparatoris noſtri erga homines caritatem commonſtrat. Tanti autem Sacramenti materia ea ipſa eſt, quam Jeſus Chriſtus inſtitutor in noviſſima cum diſcipulis cœna adhibuit: panis videlicet triticeus, ac vinum e vite confectum.

I I.

134. An in Azymis, an vero in fermentatis Chriſtus Euchariſtiam inſtituerit ex celebri controverſia de ultimo Paſchate a Domino celebrato dependet. Summus hic extat diſſenſus inter Criticos Interpretes. Complexam quæſtionem breviter reſolvimus dicendo veroſimilius Chriſtum Dominum antequam pateretur, legale Paſcha celebraſſe, luna XIV. ineunte Menſis Niſan, & quidem cum omnibus Judæis; proinde in Azymis conſecraſſe.

I I I.

135. Forma, qua Christus utramque Sacramenti materiam, panem ſcilicet, ac vinum conſecravit, atque in poſterum conſecrari præcepit, illis continetur Evangelicis verbis: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis meus.*

I V.

136. Hæc ipſa verba ineluctabile nobis ſuppeditant argumentum pro reali Corporis Chriſti præſentia in Euchariſtia. Abeat ergo hinc Albertinus, dum ſenſum abſtruſum, coactum, ac nudiuſtertius adinventum illis præfigere curat.

V.

137. Arrigant etiam obtuſas ſuas aures Calviniſtarum reliqui ad caput 6. Joannis: in quo Euchariſtiam mox a ſe inſtituendam diſcipulis ſuis pollicetur Christus, & in eadem realem ſui præſentiam repetita ſententia edicit.

V I.

138. Ludricum non minus eſt Lutheranorum placitum, conſub-

Digitized by Google

ſubſtantiationem, vel impanationem in Euchariſtia ſomniantium; peracta enim conſecratione nil panis, nihilque vini cum corpore, & ſanguine Chriſti remanet; ſed panis in corpus, vinum in Chriſti ſanguinem per Tranſubſtantiationem convertitur.

DE THEOLOGIA MORALI.

I.

139 THeologia Moralis, ob eximiam ſui præſtantiam ac utilitatem, diſputationum quoque noſtrarum materiam conſtituit. Ea namque ad bene beateque vivendum dum per Divinæ Revelationis ſemitam recta homines ducit, officia ſua erga Deum Opt. Max., Seipſos, ac Proximum eiſdem commendat.

II.

140. Quo autem tria hæc modo memorata officia, ex quibus Moralis exurgit Theologia, rectè cognoſcantur, cum jam Dogmatica tamquam ipſius fundamentum præceſſerit tractationem initam bifariam dividentes, principia quædam, quæ Divinas Leges, Conſcientiam, Actus Humanos, Virtutes ac Vitia in genere conſiderant, primo firmare (quantum præfixa nobis brevitas ſinit) opus habemus.

III.

141. Leges ergo quæ Veteri, & Novo Teſtamento continentur, tametſi ab eodem Auctore Deo proficiſcantur, in ſe tamen ſpectatæ ejuſdem non ſunt commatis. Tantum namque inter Evangelicam Legem, & Legem Veterem intercedit diſcriminis, quantum inter virum hæreditatem capeſſentem, & exiſtentem ſub tutoribus, & actoribus parvulum.

IV.

142. Legalia cum futurorum fuerint typus, Chriſti videlicet Servatoris, ipſo in Crucem ſublato, mortua quidem fuere: at ſtatim à Chriſti morte non evaſere & ipſa mortifera: ſcilicet ne Lex Moſis tamquam impia rejici videretur licitum fuit aliquando veteras ſervare cæremonias.

V.

143. Lex Evangelica, quo vires ſuas exſereret, fuit ſatis promulgata; non ita tamen ut nonnullorum, qui de Evangelio nihil audierunt, reſpectu ignorantia invincibilis admittenda non ſit.

VI.

144. Præter Leges Divinas, ſunt etiam Conſilia Evangelica, quæ à Chriſto quidem, & Apoſtolis ad majorem regeniti hominis perfectionem plurimum fuere commendata; ut leges tamen homines non obſtringunt.

145. A remota ad proximam humanarum actionum regulam accedimus, Conſcientiam nempe, quæ attento diverſo reſpectu, diverſo etiam nomine inſignitur. De una autem dubia diſputantes, tamquam morale axioma tenendum eſſe dicimus, quod nimirum *in dubiis tutior pars ſit eligenda*.

V I I I.

146. Actus humanus, ſi in individuo, ut dicitur, ſpectetur, nonniſi moraliter bonus, aut malus eſſe poterit. Unde poſſibilis non eſt actus in individuo indifferens.

I X.

147. Actus exterior, prout mera eſt actus interioris exequutio, voluntati interiori de aliqua re honeſta, vel turpi nihil addit decoris, nihil turpitudinis: neque prœmii, aut ſupplici meritum penſatur apud Deum ex officio, bene vero potius ex animo operantis.

X.

148. Moralis actuum humanorum bonitas, aut malitia ab hiſce tribus, tamquam propriis principiis, repetenda eſt; objecto ſcilicet, fine, ſeu intentione operantis, ac circumſtantiis, quæ actionem ipſam comitantur.

X I.

149. Hinc ſponte ſua & illud clariſſime fluit, ex medio nempe malo malam prorſus evadere operantis intentionem, etiamſi hæc ſit in ſe ipſa recta ac bona.

X I I.

150. Virtutes ut ſint in ſtatu perfecto, tam arcto vinculo debent eſſe connexæ ac colligatæ, ut una ſine reliquis nequaquam ſtare poſſit: ſi poſſit, erunt in ſtatu imperfecto.

X I I I.

151. Peccata non ſunt omnia natura ſua mortalia, ut per ſummam dementiam auſi ſunt adſerere Novatores; independenter enim à conditione peccantis, aut miſericordia Dei, dantur peccata venialia, quæ nimirum in ſe ſpectata, nec Divinam indignationem, nec ſupplicium æternum promerentur.

X I V.

152. Firmatis jam generalibus principiis, nullo negotio ſe produnt tria ſupra recenſita officia: quæ & ipſa circa virtutes ac vitia in ſpecie verſantur, ut a vitiis ſcilicet remota, virtutibus apprime conſentanea ſint. Latiſſimus equidem hic nobis datur campus, ut adeo in eo percurrendo, aliquot dumtaxat ſemitibus inſiſtamus neceſſe ſit.

X V.

153. Virtutes, quæ Deum directe reſpiciunt, tres ſunt Theologicæ,

Digitized by Google

cæ, Fides, Spes, & Caritas, totidemque priora Decalogi præcepta; quæ autem hiſce opponuntur, peccata ſunt, quæ ad Deum pariter directe referri debent. Fides, quæ erga Sacroſancta Trinitatis, & Incarnationis myſteria in hocce Novæ Legis ſtatu ad ſalutem eſt neceſſaria, explicita omnino debet eſſe.

X V I.

154. De publica ac aperta Fidei confeſſione dum agitur, nullo in caſu eam denegare licet, utut infenſiſſimorum tyrannorum rabies nobis inſtet; nec unquam fas eſt falſam Religionem callide affectare.

X V I I.

155. Qui cultus in Deum primo Decalogi præcepto ſancitur, ſupremus ille eſt, ac latriæ; quare neminem alium, niſi ſolum ac unum Deum tali cultu proſequi debemus.

X V I I I.

156. Juramentum, quo Religionem noſtram eximie profitemur, ſi debitæ circumſtantiæ, veritas nempe, judicium, ac juſtitia comitentur, licitum eſſe, ſtatutum eſt adverſus Heterodoxos fidei dogma.

X I X.

157. Juramentum maxime proximum eſt Votum; quod in ſtatu Legis Evangelicæ licitum eſt atque honeſtum, quidquid Petrus Martyr cum ſuo ſatellitio impie obganniat.

X X.

158. Qui Dominicis, Feſtiviſque diebus opera exercent ſervilia, aliiſve Divino, humanoque jure prohibitis negotiis indulgent, lethali peccato ſunt obnoxii, niſi pietas excuſet, neceſſitas, vel levitas materiæ.

X X I.

159. Quæ autem nos ipſos immediate reſpiciunt virtutes, quoniam amore erga nos eoſdem innituntur, ad tres ſequentes Cardinales revocantur, Prudentiam, Temperantiam, ac Fortitudinem; eademque etiam ratione peccata erunt hæcce duo capitalia, Gula, & Acedia.

X X I I.

160. Prudentia prout virtus eſt infuſa, omnibus ac ſolis ineſt juſtis, cum ipſi ſolummodo in ſtatu perfecto ſint conſtituti.

X X I I I.

161. Etſi Temperantiæ ſervandæ accommodatiſſimum eſſe jejunium profiteantur Novatores; Eccleſiaſticam tamen Legem, qua carnis abſtinentia in Jejuniorum diebus cauta eſt, maximopere criminantur. At prorſus immerito; abſtinentia enim illa Eccleſiaſtici Jejunii pars ſemper fuit habita, atque diebus exurialibus penes vetuſtiores Patres publica Lege præſcripta.

X X I V.

162. Sine ulla Fortitudinis jactura poſſunt Chriſtiani, Epiſcopi etiam,

Digitized by Google

etiam, ſe a martyrio eripere perſecutiones fugiendo; modo tamen Fidei cauſſa, vel plebis Chriſtianæ periclitatio ſecus poſtulare non videatur.

X X V.

163. Martyrium olim ſegnibus Gnoſticis diſplicebat, ideoque ut illicitum, iniquum, Deoque inviſum aſpernabantur: apud Catholicos è contrario tamquam res ſancta, Chriſtianæque Fortitudinis actus illud ſemper recte fuit habitum.

X X V I.

164. Supereſt demum poſtrema virtutum pertractatio, quæ Proximum noſtrum reſpiciunt, quæque alteri Cardinali, Juſtitiæ ſcilicet adſtipulantur, aliiſque in ſeptem reliquis Decalogi præceptis a Deo commendatis. Pauca de Juſtitia, deque uno vel altero memoratorum præceptorum attingemus.

XXVII.

165. Juſtitia circa jus verſatur, quod cuique eſt proprium, quodque in Dominio, tamquam præcipuo ſui fundamento, collocatur. Jocantur porro Novatores, cum dicunt excisos à Dominio peccatores, reprobos, ac infideles: hac enim ſua ſententia in ſe ipſos judicium ferunt, atque velint, nolint, erunt Dominio deſtituti.

X X V I I I.

166. Ex titulis legitimi Dominii acquirendi ſolam hic ſpectamus præſcriptionem, quæ ſi debitis circumſcripta fuerit conditionibus, verum tribuit in rem præſcriptam dominium ne dum in exteriori juſtitiæ, ſed in interiori quoque conſcientiæ foro, etiamſi nulla interceſſerit prioris Domini culpa, vel negligentia.

X X I X.

167. Diſputant inter ſe Theologi, an liceat iniquum vitæ aggreſſorem occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ. Qui affirmantem ſententiam ſequuntur, probabilioribus momentis duci nobis videntur.

DE JURE CANONICO.

Jus Canonicum Religioni noſtræ maximo adjumento eſt; eamque namque perficit, Regulam tradendo, qua ita in ſocietate poſſint Viri Catholici ſuis in Officiis contineri, ut facilius æternam ſalutem conſequantur. Eccleſiaſticæ ergo Leges, Perſonæ, Res, & Judicia noſtram conſtituent Diatribam.

De Legibus Eccleſiaſticis.

I.

168 Leges Eccleſiaſticas exhibituri, eas primo in genere, dein in ſpecie ſpectabimus. In ipſo autem limine cum Nova-

Digitized by Google

toribus congredimur, quorum impiis doctrinis refutandis partes noſtras potiſſimum eſſe accommodandas duximus, ut ſic veritati, quæ ſolus Deus eſt, apertior aditus pateat. Itaque quam illi denegant Eccleſiæ ferendarum legum poteſtatem, hanc nos eidem vindicamus, quippe a Chriſto ſupremo omnium Legiſlatore Eccleſiæ à ſe erectæ, non ſolum tributa eſt poteſtas directiva, qua ad vitam æternam fideles dirigerentur; ſed etiam coactiva, per quam in legum tranſgreſſores animadverteretur.

I I.

169. Pergunt adhuc ſuo tumido ore dilitigare nobiſcum Heterodoxi, Principibus ſæcularibus poteſtatem impertientes de rebus fidei, atque Eccleſiaſticæ diſciplinæ decernendi; ea namque Petro dumtaxat & Apoſtolis, Petrique, & Apoſtolorum Succeſſoribus data eſt. Illud itaque unum Politicæ poteſtatis intereſſe deberet, ut Eccleſiaſticæ Leges quam accuratiſſime exequutioni demandentur.

I I I.

170. Duce Calvino conantur Novatorum cohortes deturbare Romanum Pontificem a Temporali, quam in ſuo Territorio habet, poteſtate: verum fruſtra, quippe ſpectatis etiam Novi Teſtamenti Scripturis, non pugnat cum ſpirituali Eccleſiæ regimine temporalis jurisdictionis poteſtas.

I V.

171. De Eccleſiaſticarum Legum ſubjecto nec pariter ferenda eſt Hæreticorum ſententia, qua juſtos, ac pios homines ab earumdem obſervatione eximunt, illi namque vi qua directiva, qua coactiva Eccleſiæ Legibus ſubjiciuntur.

V.

172. Ipſæ etiam Leges Eccleſiaſticæ nedum in foro exteriori ſubditos obſtringunt, uti blaterant Novatores; verum etiam in interiori conſcientiæ foro, etiamſi illarum tranſgreſſio nulli ſit offendiculo.

V I.

173. Legibus nunc Eccleſiaſticis in ſpecie ſpectatis, quæ Canonum Collectionibus tum veteribus, cum novis continentur, deſcribendis accedimus: qua in re ſe nobis parant Canones ſub Apoſtolorum nomine evulgati, de quibus plures ſunt, ſibique adverſæ Eruditorum ſententiæ. Communiori liceat nobis aſſentiri, quæ Canones omnes Apoſtolis inſcriptos fert eſſe pſeudo-epigraphos.

V I I.

174. Non minus digladiantur inter ſe Eruditi ſuper Decretalibus Epiſtolis Romanum Pontificum ante Siricium ab Iſidoro collectis. Hæ quidem longo ſæculorum tractu ceu autographæ habitæ fuere, verum poſtmodum inſpectis intrinſecis; extrinſeciſque momentis; magna ex parte ſuppoſitæ detectæ fuere.

175. Sunt

VIII.

175. Sunt Auctores, qui Gratiani Decreto, utpote privata induſtria concinnato, probabilem dumtaxat adſcribunt auctoritatem: ſunt è contrario, qui plenam legis vim eidem faciunt. Nos cum aliis emunctioris naris media via incedentes, Gratianæum Decretum ob ipſius in Jure Canonico uſum ac conſuetudinem non poſſumus non commendare; publicam tamen Legis vim auctoritatemque ei denegamus; unde Canonibus ac Decretis a Gratiano collectis tantum auctoritatis tribuendum videtur, quantum habent fontes, ex quibus derivantur.

IX.

176. Cum ad Conſtitutionis alicujus auctoritatem firmandam; illud requiratur, legitimi ſcilicet Legislatoris conſilium ac ſcopus, ut obſervantiam inducere voluerit, dubitandum non eſt, quin Gregorii IX. Decretales, Sextus Decretalium Bonifacii VIII. & Clementinæ ab Joanne XXII. promulgatæ publica ac certa polleant legis vi.

X.

177. Quod vero attinet ipſius Joannis XXII. Extravagantes, veriſimiliter plenam legis vim obtinent; de Communibus vero res eſt nimis incerta; certum tamen illud eſt, eas pro authenticis univerſaliter haberi.

XI.

178. Canones quoque, & Decreta Sacroſancti Concilii Tridentini non ſolum authentica ſunt, ſed publicam plenamque obtinent Legis vim & auctoritatem.

XII.

179. Supereſt nobis demum, ut de Bullario Romano ſeriem Romanorum Pontificum eorumque Bullas, ac Conſtitutiones comprehendente mentem noſtram aperiamus. De illo hoc ſtatui poſſe certo videtur, eadem auctoritate contentas ibi Conſtitutiones donari, quam ſibi vindicare adſeruimus in Gratiani Decreto.

De Perſonis.

180 Perſonarum in Eccleſiaſtica Hierarchia, cum primas partes ſibi vindicet Romanus Pontifex, ampliſſima in Univerſam Eccleſiam auctoritate a Chriſto donatus, religioni nobis ducimus ab ejus prærogativa exordiri. Novæ ergo de fide quæſtiones, ac controverſiæ ab Univerſalis Eccleſiæ diſciplinam ſpectantes, utpote majores cauſſæ, & jure Primatus, & vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudine, ad Romanam Sedem ſunt referendæ.

 181. Ha-

I I.

181. Habet etiam Romanus Pontifex ex eodem Primatus jure, necnon vetuſtiſſimo jure Canonico ſupremam poteſtatem recipiendi a Judicibus in partibus appellationes in gravioribus. Epiſcoporum cauſſis, in quibus de eorum agitur depoſitione.

I I I.

182. Reſidentiam Epiſcoporum ceterorumque curam Animarum habentium eſſe de Jure Divino, communis fere eſt Canoniſtarum ſententia adverſus Ambroſium Catharinum. Eam & nos amplexantes addimus cum iisdem, dari poſſe abſentiæ hujuſmodi legitimas cauſſas, quæ adeo cum urgent, a reſidentia improprie, ut dicitur, diſpenſatur.

V I.

183. Ab aliis Perſonis in Eccleſiaſtica Hierarchia conſtitutis, ut & abs propriis ipſarum juribus brevitas initio nobis propoſita diſputationem cohibet. Niſi quod opportunus hic nobis videtur locus vendicandi Eccleſiaſticam Continentiæ legem a calumniis Novatorum. Carpunt ſcilicet iſti Cælibatum Sacris Ordinibus adnexum, ut Divino Jure naturali ac poſitivo adverſum, imo ipſis etiam veteribus Canonibus repugnantem; qua certe ſua adſertione, ne aliud dicamus, inſcitiam produnt ſuam. Antiquiſſima namque eſt hujuſmodi lex continentiæ, & ſi alibi, hic potiſſimum locus eſſe debet Auguſtini Regulæ de diſciplinæ capitibus, quorum initia non reperiuntur, ut ea ſcilicet ab Apoſtolica Traditione repetamus.

V.

184. At vero in Eccleſiaſticarum Perſonarum pertractatione, ne nobis deeſſe videamur, qui Monaſticam vitam amplexi fuimus, pauca quædam Religioſorum profeſſioni appoſita delibanda ſunt. Religioſa itaque profeſſio cum aliquod ſacrum ſit ac ſpirituale, tendatque ad ſalutem Animarum, non ſine maximo ſimoniæ vitio per pactionem aliquid exigeretur ab ingreſſuris pro Religioſæ profeſſionis actu, ſive Monaſterium ſufficientibus redditibus ſit inſtructum, ſive ſecus.

V I.

185. Sunt qui oculis nimium rigidis vel tenuiſſima Religioſorum peculia ac vitalitia annua proſpiciunt, eaque extundi vellent, quo ſic proprietatis vitium vitetur. At poſtquam a nativa Regulæ indole receſſum eſt, annuos redditus ac peculia pro honeſtis & convenientibus ſumptibus, ex Prælati venia, aliiſque adhibitis cautionibus, cum Monachorum paupertate conciliari poſſe arbitramur.

V I I.

186. Monachi ac Regulares ab Epiſcopi lege, quæ dicitur Diœceſana, exemti ſunt, & licet Jure communi per omnia Epiſcopi juriſdi-

resdictioni ſubjiciantur; inſpectis tamen Privilegiis a Summis Pontificibus impetratis, ab illa in pluribus eximuntur.

VIII.

187. Abbates Ordinis Divi Benedicti, præter ordinariam in ſubjectos ſibi Monachos jurisdictionem, quam cum reliquis Regularium Prælatis habent communem; virtute privilegiorum etiam poteſtate pollent conferendi Tonſuram, ac Minores Ordines; tum uſu pariter Pontificalium Inſignium in quibusdam ſolemnitatibus.

De Rebus.

I.

188. RES Eccleſiaſticæ, quoniam aliæ ad Animarum ſalutem vergunt, aliæ vero Perſonis in Hierarchico Ordine conſtitutis deputantur; recte a Canoniſtis dividuntur in Spirituales ac Temporales. Ne vero longius provehatur oratio noſtra, prius rerum genus, quo Sacramenta continentur, Eccleſiæ, ac Religioſa loca, ſilentio præterire cogimur. Ut ergo nonnulla de poſteriori genere complectamur, Temporales ipſas res in peculiares, quæ certis ſcilicet debentur Perſonis, atque in Communes, quæ omnibus diſpenſari poſſunt, tribuimus.

II.

189. Inter peculiares res recte hæc numerantur, Cathedraticum, ſeu Synodaticum, Caritativum, ac Procurationes; quippe quæ ſoli Epiſcopo ſunt perſolvenda, ſi unum Caritativum ſubſidium excipiatur, quod Sede Vacante Capitulo etiam licet exigere.

III.

190. In earumdem rerum cenſum pariter veniunt decimæ, quæ prout determinatam quantitatem, decimam ſcilicet fructuum portionem deſignant, ſolo humano jure Eccleſiæ Miniſtris ſunt perſolvendæ.

IV.

191. Ut autem datam occaſionem Heterodoxorum refutandorum in hac etiam parte arripiamus, contra ipſos ſtatuimus, jure divino naturali, ac poſitivo ſolvi debere decimas, quatenus ſtipendium ſunt Miniſtris Eccleſiæ ad decentem eorum ſuſtentationem conceſſum.

V.

192. Portio Canonica, quæ & Quarta funerum nuncupari etiam ſolet; ad peculiares temporales res debet revocari, eaque nedum Parochos, ſed Epiſcopos quoque, ac Cathedralem Eccleſiam ſpectat.

193. In

V I.

193. In communium rerum Temporalium numero Beneficia cumprimis conſideranda veniunt. Hæc porro quoniam intuitu ſpiritualium officiorum. quibus ſunt & ipſa adnexa, diſpenſantur, pronum inde eſt colligere, non poſſe ſæculares inſtituere ad Beneficia: ad ipſa tamen poſſunt præſentare, quippe præſentatio actum importat mere naturalem.

V I I.

194. Ad Beneficia Regularia, utpote pleniſſimo jure Monaſteriis adnexa, Prælati Regulares inſtituere poſſunt, & quamvis maxime cautum ſit a Tridentino Concilio, ne iidem inſtituant ad Curata Beneficia; poſſunt tamen ex legitima præſcriptione inſtitutionis jus ſibi comparare, cum jus illud ex ſola Epiſcopalis Jurisdictionis poteſtate proficiſcatur.

V I I I.

195. Beneficia Regularia, & Sæcularia propriam naturam haudquaquam deponere poſſunt, ſi jus commune ſpectetur; quare nec Regularia Sæcularibus, nec Sæcularia Regularibus Clericis concedi queunt: poſſunt tamen, quando Romani Pontificis diſpenſatio interceſſerit.

I X.

196. De fructibus, quos Clerici ex Eccleſiaſticis Beneficiis percipiunt gravis agitatur quæſtio, an juſtitiæ, an vero charitatis tantum titulo obligentur in pios impendere uſus quod ex illis decenti eorum ſubſtentationi ſupereſt. Nos ſententiæ, quæ aſſerit teneri Clericos non ſolum ex charitatis præcepto, ſed etiam ex juſtitiæ debito ut probabiliori adhærendum ducimus.

X.

197. Quid de illis Clericis dicendum, qui Patrimonialium bonorum redditibus ſatis inſtructi ſunt? Tenentur ne ex iſtis vivere, intactis omnino, quæ habent, Eccleſiaſticis bonis? Hæc quidem eſt Canoniſtarum nonnullorum ſententia: Contrariam tamen longe veriſimiliorem arbitramur opinionem.

De Judiciis.

I.

198 JUdicia Civilia ac Criminalia ſimul conjungentes, quæ potiora ſunt hic perſtringimus. Unde Perſonæ, quæ præcipuas partes in Judiciis obtinent; tum Tribunal, Delicta, & Pœnæ hic à nobis penſitari debent.

199. In

I I.

199. In Criminalibus cauſſis, quæ graviorem ſecum ferunt pœnam, mortis ſcilicet, aut mutilationis, ſi ex privata, ſed certa tamen cognitione noverit Judex innocentem eſſe, quem allata & probata, ut dicunt, reum evincunt: hominem iſtum non debere Judicem damnare, æquitati apprime eſt conſentaneum.

I I I.

200. An vero in Civilibus reliquiſque Criminalibus cauſſis, capitis vel ſanguinis ſententiam excludentibus, poſſit Judex condemnare innocentem, nocentem tamen probatum, maximopere etiam controvertitur inter Doctores. Graviſſimæ vero; quæ hinc inde afferuntur rationes, ut judicium noſtrum cohibeamus, in cauſſa ſunt.

I V.

201. Regularibus per Prælatorum ſuorum veniam aut tacitam, aut expreſſam, in Jus vocare, ſeu actores agere licet: maxime ſi Monaſterii res tale Officium flagitare videatur.

V.

202. Judex ſervato juris ordine interrogans, legitimus evadit rei ſuperior, proptereaque tenetur hic interroganti Judici reſpondere; non tenetur vero, ſi contra juris ordinem interrogetur.

V I.

203. Ex quo & illud conſequitur, ipſum quoque teſtem, cum juridice a legitimo Judice interrogatur, non modo teſtimonium detrectare non poſſe, ſed etiam ferre illud debere.

V I I.

204. Quoniam rerum ſpiritualium poteſtas ſolis ineſt Eccleſiaſticis Perſonis tota via aberrant Heterodoxi, cum cauſſas merè ſpirituales, & quæ fidem ſpectant, apud Forum tantum Eccleſiaſticum definiendas eſſe inficiantur.

V I I I.

205. Ad ſolum itidem Forum Eccleſiaſticum Clericorum, qui communium delictorum luto ſeſe pervolutarunt, cauſſæ deferendæ ſunt. At Clerici in privilegiata facinora prolapſi (de quorum tamen numero nihil definitum reperitur) ut condignam luant pœnam, utriuſque Fori judicio ſunt ſubjiciendi.

I X.

206. Inter cetera horrenda vitia latiſſime patere videtur Simonia, quippe quæ & Religioni maximam injuriam infert, & jus ipſum naturale, ac poſitivum Divinum ſuſdeque evertit: digna propterea, quæ pœnis graviſſimis ab utroque Jure fuerit proſcripta.

X.

207. A Simoniæ labe vindicare ſe nemo poteſt, qui accipit, vel of-

Digitized by Google

offert temporale tamquam motivum conſequendi ſpirituale ; neque enim ad tam execrabile crimen dumtaxat poſtulatur , ut temporale veluti ſpiritualis rei prætium ſpectetur .

X I.

208. Irrident Hæretici Eccleſiæ poteſtatem , qua in facinoroſos ſuos ſubditos ac contumaces Cenſuris animadvertit , eoſque quorumdam ſpiritualium bonorum participatione ; ac uſu interdicit donec reſipiſcant : Verum ſemetipſos potius irrideant , qui poteſtatem illam in Sacris Scripturis diſerte à Chriſto adſertam , ſuperbia ſua ſe non intelligere affectant .

F I N I S.



Digitized by Google

Digitized by Google